

reversus, amissos populi plangentis amicos exhibitum sibi non victorie, sed venerationis occursum manu repulit et voce dampnavit, introgressusque palatium tam doloris quam pudoris urgente stimulo, se cum suis incendio cremavit. Urbem hanc et ecclesiam reverendam in ea sub imperatoribus Diocletiano et Maximiano, navem ecclesie decima persecutionis concutiente procella, consecravit triumphali sanguine passionis gloriosa martyr et virgo Lucia. Hic fluvius et fons, uterque limpidus et suavis, Alfeus scilicet et Aretusa, conveniunt; quos etiam non preterire non erubuit á poetis gentilium presumpta licencia fabulandi, et civitatem inter salsos fluctus pelagi dulcibus irrigant aquis. Nec minori collimitans huic Cathanensium civitas eminet dignitate, quam precipuo sublimat honore pro Cristo victoriosus agon Agathe virginis et martyris gloriose. Sicilia semper et rebellione servili et dominatione tyrannica consuevit affligi. Fertur primus in ea regnasse Crocalus, qui regis Cretenensis iras Minoyis fugientem excepit Dedalum, et pro eius defensione bellum cum Minoe suscepit; qui Dedalus tantum vigeat in arte magica, quod volare fecit aves incluso spiritu metallinas, dividi pedes statuis primus instituit, cum antea fierent pedibus indivisis. Longe post illum in illa Falaris tyrannus regnum obtinuit, Ciri videlicet magni temporibus, qui cum crudeli gauderet animo de suppliciis propter¹ cruciandos homines adinventis, Perillium quendam propter hoc bovis enei repertorem, iuste quamvis iniustus, in ipso bove fecit exuri, primumque, per quod homines perire docuerat, experiri. Quidam autem Dionisius fertur ibidem exercuisse tyrannidem, qui propter immanitatem crudelitatis se tantum exhibuit exosum populis, quod non auderet habere nisi de turre munitissima colloquium cum subiectis. Hic amictus aureos et gemmis intextos á simulacrorum tollebat humeris, dicens, aureos estate propter pondus, hieme minus idoneos propter frigus, cum laneos tempus hibernum, lineos magis exigere videretur estivum. Longo post tempore de quodam septemtrionali migrantes angulo Longobardi, translato Constantinopolim iam dudum imperio Romanorum, postquam armis Italiam subegerunt, hanc terram etiam permixti paganis et Grecis incolis possederunt. Hos quoque Normanni de terra Danorum et de sub pennis aquilonis advecti Neustriam, que pars Francie iuxta minorem et maioris cornu Britannie, postquam regionem illam armis obtinuerunt et de suo nomine vocaverunt, in ulteriora se magnanimiter extendentes, Apuliam, Calabriam simul et Siciliam viribus obtinendo, sibi subditos et tributarios effecerunt, et regnum de parte constituentes imperii, primitus ibi principem sibi, regem

1) Von hier ab fehlt der Rest an der zweiten Stelle, nach dem Ende des 143. Blattes.